

# MARTIS AUSTRIACI

Felices usque ad Rhenum

## PROGRESSUS

HONORIBUS

PERILLUSTRIUM, REVE-

RENDORUM, RELIGIOSORUM, PRÆNOBL-

LIUM, NOBILIUM, ACERUDITORUM

DOMINORUM,

DOMINORUM

NEO - DOCTORUM

*Cum in Alma, ac Celeberrima*  
UNIVERSITATE GRÆCENSIAE

PROMOTORE

Rev. Patre

CAROLO DOLLENZ,

E Soc. JESU,

AA. LL. & Philos. Doctore, ejusdemque

Professore emerito, nec non inclytæ Facul-  
tatis Philosophicæ p. t. Seniore,

Suprema AA. LL. & Philosophiæ Laurea  
insignirentur,

A RHETORICA GRÆCENSI

D. D. D.

Anno M. DCC. XLIV. Mensē Julio Die VII.

GRÆCI, Typis Hæredum Widmanstadii.



ВІДЕОМАМ  
СОЛНЦЕВА

ВІДЕОМАМ  
СОЛНЦЕВА

ВІДЕОМАМ

ВІДЕОМАМ  
СОЛНЦЕВА

PERILLUSTRES, REVE-  
RENDI, RELIGIOSI, PRÆNOBILES,  
ERUDITI, AC PERDOCTI  
DOMINI  
NEO · DOCTORES!

**I**IBERATAM AUSTRIAM *Vestris honori-*  
*bus anno superiore inscripsimus, nunc cetera, que*  
*egregie, ac feliciter gesta sunt, persecuti sumus: cul-*  
*pa enim non careret, si tam illustre argumentum interru-*  
*ptum penderet. Quamquam qui nos sumus, qui versibus*  
*decorare grandia Heroum facta audeamus? nam isto in*  
*numero utrumque Ducem nostrum si reponamus, nemo af-*  
*fentationis nos arguat. Quantus non sanguine, conati-*  
*bus, factis Serenissimus Dux noster Carolus! quantus*  
*Khevenhüllerus! quem e medio victoriarum cursu, &*  
*maximarum verum molitionibus inopinata morte sublatum*  
*fuisse, omnes unice dolemus: etenim ejus solius autho-*  
*ritate, et si reliqua ad defensionem, & dominatum præsidia*  
*desuissent, res nostra firmata abunde, & ornata stetisset:*  
*qui omnes, quos Gallia, aliaque Regna præstantissimos Duces*  
*ei opposuerunt, aut fudit, aut fugavit, aut cepit, & mensis*  
*unius fere spatio Totam Bavariam nostri juris fecit: qui*  
*minorum Ducum suorum omnium babilitatem Divino inge-*  
*nie*

nio comprehendit, & insolito pugnandi genere victorias sine effusione sanguinis retulit, atque integras Provincias sine iactura nostri militis occupavit, cumque semper meritus sit, ut vinceret, id semper obtinuit, quod merebatur. E cujus mente si multa Serenissimus Dux Carolus confecit, tum huic, ut quondam Agamemnoni, Regi Regum, gloriosum est, sapientissimi Nestoris ingenio ad res magnas agendas usum fuisse; tum ipsi Khevenhüller, tantum Principem, in quo Natura, & Virtus magnum exercitibus Imperatorem, & populis Regem efformarunt, consiliorum suorum laudatorem, & sectatorem habuisse. Si vero ipse Serenissimus Dux multa constituit, que Khevenhüller summe probabantur, quo judicio illa excogitata esse oportebat! que tantum virum, qui in omni militaris scientiae parte ad prodigium excelluit, in admirationem & sequelam rapiant. Verum quoniam hi omnia communicatis consiliis, & communibus auspiciis sic administrabant, ut alter in alterius laudum societatem necessario veniat, nec nos duos hos Heroes sejungemus, quin, dum utriusque res gestas complectimur, alterum saepe pro altero nominabimus. Bene consulite hunc laborem nostrum, Neo-Doctores, quem si vobis non displicuisse, intellecterimus, operæ pretium amplissimum tulimus, qui id unum cupimus, vobis placuisse, quos Virtus, & Scientia jam destinat ad maxima aliquando in utraque republica munia obeundas.

## Honoris Vestri

Studiofissimi

Rethores Græcenses.

† †

## PROLOGUS.

**Q**ui prius arguto percussi pectine carmen,  
Hostili cantans Patriam Mavorte solu-

tam,

Mollibus hanc Elegis pariter committere molem,  
Et silvam rerum volui, Boicosque triumphos,  
Victricesque istis sociis lustrare cohortes.

En tibi: Castalio montis tum vertice Phœbus  
Improvisus adest, dextramque minando pre-  
hendens,

Quid demens moliris? ait. Tantone ferendo  
Sint Elegi graciles oneri, pedibusque labantes  
**A**lternis, rapidum possint æquare sequendo  
Hunc belli cursum? Majoris roboris istud,  
Et pedis Heroi est. Pavitans ego talia reddo:  
O Deus! haud istæ superant in corpore vires.  
Sed Clarium Numen: tenui de corpore mecum  
Cura sit ista, refert. Cujus super aëta laboremi  
Aggrederis, validas hic unus ad ardua vires  
Sufficiet. Depone metus, animoque resurge  
Ex humili, & magnis studium conatibus affer.  
His dictis, menti grandes insurgere sensus,  
Entheaque insolito fervescere corda calore  
Exerior, promptusque Dei præcepta capesso.



## LIBELLUS PRIMUS

Pugnam Brunovensem, & occupata  
quædam loca complectitur.

### §. I.

*Maturi ad bellum apparatus.*



Emperiem campis ut mitior aura reduxit,  
Extemplo Carolus matura ad prælia tur-  
mas

Evocat hybernis. *Hostem prævertere bello*  
*Sæpe dedit partes bellando tulisse priores.*  
Nec mora: miles adest, vernoque ut tempore serpens  
Exutus veterem, detracta pelle, senectam,  
Arduus ad solem exultat, linguisque trisulcis  
Ora vibrat vires nactus, tumidamque juventam;  
Haud aliter miles vires, animosque recentes  
Post requiem gestat, solitisque instare triumphis  
Fervidus, audito bellorum nomine gaudet,  
Fatiferoque latus succingitur impiger ense:  
Imprimit æra comis: cannam suspendit ahenam  
Ex humeris, sumptisque minax assistit in armis,  
Signaque trans Oenum victricia tendere flagrat.  
Buccina rauca tonat: vox congregat ærea campum,  
Indicitque viam. Jam ventum ad littora dicti  
Fluminis: en: Mars, qui factis illustribus anni  
Præteriti captus, se casus dixit in omnes

Jur-

Juratum **Ducibus** comitem, transire parumper  
 Has cunctatur aquas, non bellatoribus aptum  
 Causatus potum Boicos hos fundere tractus:  
 Non, ait, hac tota gravidi mons palmitis altor  
**Cernitur in patria**, non ulmo juncta marito  
 Vitis adest fortē sparsura in pocula succum:  
 Sed mixtum lupulo, coctumque e farre liquorem,  
 Turgida qui pinguem distendat ad otia ventrem,  
 Civis ubique bibit: communis is omnibus haustus.  
 Ast ubi succensum generosis ausibus agmen,  
 Pertæsumque moræ, laurosque hostesque sequendi  
 Advertit cupidum, totamque hanc posse triumphis  
 Percurri terram, & rapto per prospera bello  
 Charum militibus generoso munere Bacchi  
 Rhenum contingi, Mars primus, ponte parato,  
 Litus in oppositum properat. Dux fallat ut hostem,  
 Propositumque suum celet, divisa maniplis  
 Agmina neve loco, nec tempore mittit eodem  
 Trans Oeni stratas numerosis pupibus undas,  
 Fallacique jubet vestigia ducere flexu.  
 Est locus, ad lœvum lato cui gurgite flumen  
 Abscidit accessum, tutosque propinqua receptus  
 Mænibus arx altis præbet. Torpente palude  
 Fossa tumens a fronte omnem vim militis arcet.  
 Ad dextram aërea mons ductus in æthera rupe  
 Tollitur, & longo præceps juga saxeа tractu  
 Porrigit. Huc robur Boicæ sua castra juventæ,  
 Et flos delectus posuit, sibi commoda captans  
 Tempora, ut in nostras iterum prorumpere terras  
 Incursu subito possit. Sed Carolus, atrox  
 Consilium hostilis profuso sanguine turmæ  
 Suffocare volens, & mentis sensa superbæ,  
 Corpora, spesque omnes una sepelire ruina,  
 Accelerat motis Bavaros invadere signis  
 Grande patraturus celeri certamine bellum.

## §. II.

*Boicæ cladis præsagia.*

**E**lector cladem nocturna in imagine pallens  
Præcipit, eventum somno monstrante sini-  
strum.

Incumbens strato petiit per membra soporem :  
Cum sibi plena metu species, horrendaque visu  
Objicitur. Jam se plenis infundere castris  
Teuto videbatur, miseramque inducere stragem.  
Hic Valachus, summo montis de vertice lapsus,  
Et Germanus eques, stricto mucrone tremendus,  
Intra castra furit, cœdit, mutilatque, fugatque.  
Arripiunt alibi pedites certamine vallum  
Transmissis saltu fossis, & funera densant.  
Innatat undanti tumulatus sanguine campus,  
Enatoque recens extant e gurgite spissi,  
Purpureique lacus congesta cadavera, fœdi  
Faucibus absectis sine honore, & nomine truncū.  
Arma, viri, jumenta loco glomerantur eodem.  
Sic, postquam rupto torrens effusus in agros  
Aggere, in ingentem rapido ruit agmine fossam,  
Inclususque jugis arctatur, valle sub ima  
Lanigerosque greges, armentaque mixta jacere,  
Convulsasque casas spectabis. Cœde peracta  
Castrorum mergi lethali flumine multos  
Cernit, & humenti pedites, equitesque sepulchro  
Armaque componi. Dum Princeps talia captat  
Omina bellorum sub noctem, obducere vultus  
Pallor, & e gelido decurrere corpore sudor  
More nivis, multo quæ faucia sole liquescit,  
Vinctaque lingua metu truncatas volvere voces.  
Denique luctatus labris dare verba solutis  
Clamat, & evigilat. Pleno dum lumina visu  
Erigit, & trepidam jactat per stragula dextram,  
Seque notat solito somnum cepisse cubili;

Corda

Corda quidem magno surgit terrore levatus;  
 Nescio, quis tamen, instantis discriminis augur;  
 Exuperat metus, infixus qui conditur imis  
 Ossibus, & pressum velut ingens sarcina pectus  
 Angustat. Subeunt pulsæ cum clade cohortes  
 Finibus Austriacis, subit anceps alea belli,  
 Habsburgæque subit fatum mirabile stirpis,  
 Quæ bellis terras, populosque accepit ab hoste.

Fraus Bavarum spectans, conclusum mente dō.  
 Iorem

Colligit e vultu, & chari mentita ministri  
 Personam, miris animi secreta recludit  
 Artibus, hosque sonos de Principis elicit ore:  
 Sunt, scio, deceptæ simulacula fugacia mentis  
 Somnia, meque tamen vexant, hæc ipsa scientem,  
 Invitumque simul. Trepidō, & quæ causa tremoris,  
 Me latet: incerta quatitur formidine pectus.  
 Illusere mihi vanæ ludibria noctis,  
 Et mea ab Austriacis invasaque, captaque castræ  
 Morpheus in somno specie depinxit atroci.  
 Somnus abit, tristes animo depellere larvas  
 Pugno, sed incassum: conspecta figura recursat,  
 Cor pavor, & stupidos algens tremor alligat artus:  
 Et tremor hic ipse est, ignarum multa timere  
 Qui cogit. *Natura isto monitore labores*  
*Prænotat ingentes.* Isto ne forte timore  
 Et Cæsar bellum, & Gallos, & paœta relinquat  
 Fœdera, Fraus metuens, fallaci hæc voce profatur:  
 Quid Princeps, Cæsar, Gallorum Regis amicus  
 Formidet? dominatus ibi, suprema potestas,  
 Ampla triumphorum series, & maxima opum vis,  
 Gallia quo vertit vasto de corpore Regni  
 Collectas vires. Ducentis millibus addet,  
 Si casus poscent, & adhuc ducenta virorum  
 Millia, & Austriadum trepidis regnum omne ciebit  
 Motibus. Expecta: vix Lucifer unus, & alter

Surget, & hostiles ferri tua signa per urbes  
 Audieris. Dux ipse tuus clarissimus arte,  
 Militiae usu, Licensi ut cederet urbe,  
 Me, dixit, reducem horrebit, quæ venerit æstas.  
 Illius jam jam promptus procurrere miles  
 Vicinas Oeno fauces, hostique propinquas  
 Insidet. Hæc ægro dederant breve verba levamen.

### §. III.

#### *Pugna Brunoviensis.*

**I**Nterea Rumor timidis illabitur alis,  
 Devitansque forum primo subrepit in ædes,  
 Sejunctisque locis in fidas mussitat aures.  
 Postea liberior curis, animisque solutos  
 Aggreditur, dictisque implet. Per compita passim  
 Jungentum capita, & narrantium garrulus orbis  
 Aspicitur. Tandem missus, qui certa referret,  
 Quadrupedis claudi tergo, & languentis inhærens  
 Nuntius advenit, noctis caligine nigrum  
 Obfuscante polum. Dubiam vix attigit aulam,  
 Vixque exorsus erat, Bavarо jam voxque, colorque,  
 Sanguis & e venis fugit, quin nomina cladis  
 Intellecta sibi perfecta voce fuissent.  
 Haud aliter Pluto sortis post fata sinistræ  
 Hæres effectus depresso in tartara regni,  
 Dum venit ignifero Cœli radiantis ab axe,  
 Depreno picei squallore cohorruit orci.  
 Ut se paulatim redivivos sanguis in artus  
 Retrahit, & veniunt reduces in pectora sensus,  
 Gressu emetitur tacitus bis, terque cubile,  
 Admordensque unguis, animis audita revolvit  
 Absorptus, demum voces has pectore rumpit:  
 Una hostis motum, pugnam, clademque meorum  
 Percipio infelix! cur non socia agmina Gallus  
 Attulit? An segnis tantum speculator adesse

Conſi-

Constituit? Noster quid Seckendorffius? An non  
 Auxilio subiisse suos, minuisseque juncto  
 Milite discrimen decuit? Mihi singula pande:  
 Sed nil dissimula, nec quæsito oblita fuco  
 Verba effinge mihi. Cui nuncius ista reponit:  
 Qui fuit Austriacos datus inspectare labores  
 Centurio Gallus, munita sede receptus  
 Excubat: illius tamen acrem fallere visum  
 Bernklavius novit, subitoque invadere Marte  
 Exploratorem, secumque abducere captum.  
 Uno hoc sublato, qui lumen habebat in hostes  
 Intentum, Gallos spissa caligine rerum  
 Obruit, ignaros facti, millenaque clausit  
 Lumina. Et interea tota jam mole movetur  
 In nos Austriacus, per fida silentia lunæ  
 Ingressus, tenebrisque suam, properandoque famam  
 Occulit, & celeri disjecta repagula facto  
 Prævolat, objectos obices nihil usque moratus.  
 Non procul a nostris Divum penetralia castris  
 Abscedunt, opus antiquum, quot lata recingunt  
 Mœnia, & arborea duplex lorica corona,  
 Firmat & in fossam tellus egesta profundam.  
 Callibus angustis huic templo pervius usus  
 Est cum Brunovio. Primarum huc ordo phalangum  
 Delatus, multis urget sacra limina flammis  
 Æribus abruptis, tollit commercia, sedem  
 Occupat, ablatis custodes abripit armis.  
 Nec mora: nostra stetit circum tentoria fusus  
 Austriacus, strictus gladiis, pugnæque paratus.  
 Nos partem hanc toto sumptam de corpore belli  
 Esse rati, saeras armis quæ ceperat ædes,  
 Optamus taciti, castris, numeroque cohortum  
 Nostrarum freti, collatis prælia signis  
 Auderet. Properans aciem Minutius apte  
 Digerit: in geminas equitatus vertitur alas,  
 Complexus medium peditem: diducta profundo

Qua

Qua tellus fulco est , falconum fusilis horror  
 Latam aggressori stragem , summamque ruinam  
 Intentat . Tergus nostrum , partemque sinistram  
 Montibus , & dextram rebamur flumine tutam .  
 Nam quis consensu turmam tentare minaces  
 In nubem scopulos , æquataque culmina Cælo  
 Crederet ære graves perrepere posse cohortes ,  
 Quo vix pertingant nutritæ rupe capellæ ?  
 Sed quid non præceps furiata Audacia mente  
 Hac ætate audet ? Dum nos a fronte , globorum  
 Lethali nimbo , pagosque urente favilla ,  
 Hostibus accessum præcludere nitimus , ecce  
 Signa per immanes abrupto limite cautes  
 Cernimus attoniti pleno descendere cursu ,  
 Gradivo præeunte , suosque urgente Croatas .  
 Dux noster flexis venienti cornibus hosti  
 Obversus , fastas nitrato fulmine glandes  
 Detonat incassum : dum partem obnixus in istam  
 Bella regit , fossam lympha stagnante tenacem  
 Pertransit Teuto celeri cum Pannone mixtus ,  
 Exemplum , Nadasde , tuum , vocemque secutus .  
 Ipseque laxatis incensa per oppida frænis  
 Vallum irrumpit eques , licet atris nubibus ignis  
 Late compleret vicos , æstusque liquando  
 Æri sufficeret ( fas sit vel laude merentem  
 Affecisse hostem . ) Densis involvimus armis  
 Oppressi numero , distentisque undique turmis  
 Deficimur , raptisque ulro , citroque catervis  
 Rarescit turbata acies , & fluctuat anceps ,  
 Illapsis qua terga viris , qua pectora ferret .  
 Hic siquidem , longo fessus quem gurgite Savus ,  
 Quemque suis potat jam Dravus adultior undis  
 Irruit , horrenda conturbans territa voce  
 Sidera ; ibi volitat celerem quatiendo Sarissam ,  
 Et frontem , & tergus , cornuque lacefuit utrumque  
 Hussarus ; hac peditum , signis fluitantibus , agmen ,

Hac

Hac clauso penetrant florentes ære catervæ.  
 Arctatur totum numero examine vallum.  
 Quid faciant nostri? congressi prælia tentent?  
 Succubit virtus numero depresa locoque.  
 Tutæ fugæ quærant? vicini fluminis obstat  
**Alveus**, & tutos arcis vetat unda receptus.  
 Incumbente tamen tantarum molle cohortum,  
**Cogimur** in notos Martem subducere muros.  
 Nitimur ad portam, structo per flumina ponte.  
 Hic oculos, animosque ferit miserabile fatum.  
**Castelli** custos metuens, ne terga prementes  
**Austriaci** pariter subeant, non ostia totis  
**Laxavit** valvis, fugitiva sed agmina parvis  
**Admisit** foribus. Stipantur limina denso  
 In se trudentum cuneo: via lignea tantis  
**Angusta** est populis, summoque ardore ruentum  
**Impulsi**, e turba multi eliduntur in undas.  
 Pars quoque sponte cavis, applauso corpore, dextris  
**Insilit** in fontes, adversaque littora poscit  
**Remigio** manuum, vel equis innixa lacertos,  
 Per latices trahitur geminata morte, globisque  
**Ignivomis**, & aquis animam positura paventem.  
**Auxiliare** quidem **Dux Seckendorffius** agmen  
 Ferre jubebatur; verum omnes undique **Teuto**  
 Obseptas vivo custodiit objice fauces.  
 Finiit. Et relegens animo sua somnia **Princeps**  
 Congrua perferri his notat omnia. Plura deinde  
 Sollicito quærit, responsaque captat, & odit.

#### §. IV.

*Priori materia laudes quorundam intexuntur.*

**I**nterea rauco pennarum ingressa tumultu,  
**Æthera**, & attonitas garritu concutit ædes,  
 Erectasque aures pretio, novitateque rerum  
 Fama tenet. Non ora licet centena loquenti,  
Verba

Verbaque sufficiunt, quibus unius inclyta dicat  
 Facta viri. *Carolo celebrando laborat in uno.*  
 Illius ingenium ter denis vocibus effert,  
 Nulla cui summis implexa scientia rebus  
 Invia, quodque hostis molimina cernit acutum  
 Omnia, & evertit primo frustrata sub ortu.  
 Cerne exorrectum spatiose frontis honorem,  
 Illiusque oculos vivaci lumine plenos,  
 Hisque puta signis magnam te cernere mentem,  
 In qua perpetuam Pallas tenet utraque sedem,  
 Atque suas congescit opes. Totidem altera Fama  
 Ora fatigantur laudando pectoris ampli  
 Heroas dotes, pulchri quas corporis ingens  
 Prodit Majestas, & qua dignoscere possis,  
 E vulgo ducibusque aliis quis maximus Heros.  
*Naturam credas humili sub corpore tantos*  
*Non animos ausam, tantasque includere vires,*  
*Quae tot succumbant, & tanti nominis hostes.*  
 Huc longi virtus ævi, laudesque priorum  
 Confluxere ducum : hoc Atavus, Proavusque, Pa-  
 terque,  
 Omne decus Lotharæ stirpis sub pectore vivit,  
 Illa licet Regum numerosa gente, Ducumque  
 Floreat, & referat summorum turbam Herorum.  
 Pluraque Diva loquax, majori & concita nisu  
 Fundit verba, quibus tam grandi Principe dignos,  
 Et summo plenos extollat Numine mores.  
 Egregium laudat justi, sacrique tenorem,  
 Et facilem victis acri certamine dextram,  
 Hosti quam crebro tendit, dum Martis ab æstu  
 Cæde rubens ferveret adhuc : qua protegit urbes,  
 Et ditat, quas expugnat. *Dux acer, & idem*  
*Munificus Victor, raro qui fædere novit*  
*Cæsaris arma, Numaque pios conjungere mores.*  
 Cetera confectæ laudes, & nomina pugnæ  
 Ora Deæ memorant: ut noster Scipio ferro

Hosti-

Hostibus institerit, qua tecta labantia multo  
 Igne crepant, & flamma ingens furit æthere toto.  
 Postea Fama refert quatuor, quæ missa sub orcum  
 Millia, castrorum Proceres, ipsumque supremum  
 Rectorem captum, & magnum sine nomine vulgus,  
 Æraque diversæ direpta fuisse figuræ,  
 Hosque amplos fructus nulla prope cæde stetisse.  
 Qui pauci in cumulum fessi cædendo cadebant,  
 Ore minas, vultuque habitum victoris habebant.  
 Hæc ait, & motis sublata per aëra pennis  
 Abripitur, Carolum terras latura per omnes.  
 Jamque locum supra paribus Dea constitit alis,  
 Moldava quem medium rapidis interluit undis.  
 Omnia læta videt, festoque calere tumultu.  
 Urbs licet immensum concludat mœnibus orbem,  
 Arcta tamen populis præsentibus esse videtur.  
 Dextra Phrygum pictis murosque domosque figuris  
 Prætexit, positisque fores de floribus halant:  
 Ebria Thessalico concharum lana cruore  
 Velat humum: vestes auro, gemmisque coruscæ  
 Phœbeosque legunt radios, lectosque revibrant.  
 Jaspidis ipse viror refracta hic luce Pyropi  
 Ardet, & ipsa viret de Jaspide flamma Pyropi.  
 Fœmineis Adamas niveus de crinibus albet,  
 Et resplendet Onyx, Opalusque, teresque Beryllus.  
 Non Famam tamen ista movent, sed detinet illam  
 Insigni dives THERESIA Magna paratu,  
 Ditior at forma, quæ suscepturna coronam  
 Regali lucet pompa, dubiumque relinquit,  
 Eripiatne suum gemmis Regina nitorem?  
 An donet, candensque decus, vitamque micantem  
 Affundat? Vix illa novum clementis Olympi  
 Munus, & ingentem Boica de gente triumphum  
 Percepit, sacros templis indicit honores,  
 Et Superis grates imo de pectore reddit.  
 Si veteres loca sacra Diis Augusta vocarant,

Et quæ Supremi sunt aucta favore Tonantis;  
 Hoc quam præ reliquis THERESIA nomine digna est!  
 Quæ meritis cumulat dum semper honoribus aras,  
 Augustum gerit ipsa suo sub pectore templum,  
 Quod donis, semperque novis ex hoste trophyis  
 Omnipotens auget, vultque omnibus esse verendum.  
 Sed quo, Fama, tuam vocemque, viamque secutus  
 Monachio veni subito dilapsus ab urbe?  
 Quæ penitus concussa suis diffidere rebus,  
 Audit ut impulsum tanto discrimine Martem,  
 Ipsiusque magis mens Cæfaris usque labare,  
 Et magis incepit. Fraus formam induit priorem  
 Advenit, & queritur mendacis murmura Famæ,  
 Quæ res exiguae immensum attollere gaudet,  
 Et vafra magnificis Gallorum robora verbis,  
 Protinus Austriacæ ruitura in viscera terræ  
 Commemorat. Princeps sic excipit ore loquentem:  
 Hanc quoque nunc noster subiit Minutius oram:  
 Quam vereor! simili ne sint subeuntia fato  
 Agmina, quæ celebras. Dictoque recessit in isto.

### §. V.

*Occupata quedam loca memorantur.*

**Q**UAM ruit excussum perfracto fulmen Olympo,  
 Præcipitansque cito ruptum per inane volatu  
 Volvitur, & citius silvasque, urbesque perustas  
 Concudit, & rapido convulsæ in viscera terræ  
 Mergitur impulsu, tractu quam rima micante  
 Ignea conspicitur, teli via nota trifulci;  
 Tam celerem rapiunt Carolo Duce prælia motum.  
 Ipse suum adventum secum, factique prioris  
 Apportat famam, & tum præsens esse notatur,  
 Dum cadit eversus disjectis molibus agger,  
 Conitus & multo fœdatur funere campus.  
 Vix ad Brunovium victoria parta fuisset,

Nostra

Nostrā suum circa jam bella Danubius amnem  
 Vedit, & obstupuit factum, quod in ære perenni  
 Immortale suum mittat per saecula nomen.  
 Isara qua liquidam fluviorum Patris in aulam  
 Conditus excipitur, numero ter fortior hostis  
 Vicenis stabat vallatus pectora septis.  
 Interius vallum lapidum compage subactum  
 Explosi regerit muralia pondera plumbi.  
 Altera stant vario munimina structa labore.  
 Hic se viminea moles constricta catena  
 Erigit e gleba, prætentaque robora nexionis  
 Arboribus præfert; ibi ad ipsa suburbia Ditis  
 Pressa dehiscit humus, totumque hoc rursus acernis  
 Orbibus incinctum est. Inter tot, tamque valentes  
 Congestus operum nova se structura recepit  
 Urbis munitæ. Tot in arcibus abditus hæsit  
 Gallus, & hunc ictis statuens expellere noster  
 Dux cum Marte venit: solerter singula lustrat:  
 Disponi tormenta jubet. Gallique, locique  
 Vires subveritus Mavors, incendere verbis  
 Exorsurus erat turmam, cum haec saltibus audax  
 Emicat in fossas. Paucos licet igne videret  
 Ejectos terra palos, tamen impete facto  
 Per gladios, flamas, & qua via cæde secunda est,  
 Quærit iter. Gaudet fixæ remoramina silvæ  
 Sternere pectoribus, latisque intrare ruinis,  
 Quas manibus dedit ipsa suis. Velocior Euro  
 Exiit extructi vicena repagula valli.  
 Hoc animi robur nulli superabile fato  
 A virtute Ducum dociles traxere cohortes.  
 Post vallum hoc nostris aliudque, aliudque catervis  
 Præsidium cedit. Quid diruta mœnia dicam  
 Urbis Landavii, qua se custodia condit  
 Gallica, mixta Bois? Dum tela nocentia flammis  
 Ex alto in campum, e campo glomerantur in altum,  
 Incidit in geminos plumbum lethale Croatas:

Dant

Dant fractæ sonitum costæ, feraleque pondus  
 Accipiunt, regeruntque calens e vulnere flumen  
 Sanguinis. Ore tamen Valachi, pugnoque minari  
 Non cessant, totisque suos nituntur in artus  
 Viribus: ast retro defecto corpore lapsi  
 Usque tamen renuere mori vel morte sub ipsa,  
 Sed pugnare petunt, Gallosque ferire cruenti.  
 Tandem ubi jam penitus funesto frigore vires,  
 Bellacesque animos labi sensere, gravatos  
 Attollunt vultus, oculisque errantibus astra  
 Suspiciunt, fractoque sono expressere supremam  
 Hanc vocem: o via si qua super post fata nocendi  
 Infestis Gallis! Dicto hoc ferragine pellis  
 Livescit, coeuntque pedes, totumque repente  
 Corpus in æratum migrat, longumque canalem,  
 Incurvæque manus geminas flectuntur in ansas,  
 Immensumque ingens diducitur oris hiatus.  
 Pro geminis adsunt totidem tormenta Croatis:  
 Nec mora: continuo flamas, & fulmina nimbo  
 Ejectant illuc, Salii qua mœnia servant.  
 Illi se frustra retrahunt, vertuntque, rotantque:  
 Insequitur quemvis pestis Vulcania gressum.  
 Atfixus tectis hæret, laterique locorum,  
 Quæ Galli subeunt, hominesque domosque tenaci  
 Circumdat flamma, & victor sibi vendicat ignis.  
 Mulciber exultans tabulata per arida currit:  
 Stridentes rumpit tegulas, magnoque fragore  
 Dispergit. Lapsant exeso culmine tigni,  
 Deciduæque trabes concusso fornice sedes  
 Perfringunt: ipsos inimica incendia muros  
 Omnibus absumptis audent invadere lignis,  
 Rimanturque sibi nova pabula, visque furentis  
 Vulcani, affuso necquidquam flumine, sævit.  
 Insolitas ignis vires miratur, & horret  
 Gallus, & ardenter trepido pede deserit urbem.  
 Sic quoque post animam Valachorum e corpore pulsam  
 Aversi a Gallis animi vestigia restant. LI-

## LIBELLUS SECUNDUS.

Danubii, &amp; Lici trajectum continet.

## §. I.

*Transitus Danubii, & Isaræ.*

**N**UNC cuperem pectus magni, numerosque Ma-  
ronis!

Ut magnus possem vates æquare canendo,  
Turma quod hostilis stupuit, quod sæcla stupebunt  
Postera, quodque aliqui nec vero affine putabunt.  
Quid tamen evolvam primum? armorumne Magistri  
Summarum perfecta prius comprehensio rerum,  
Vel memoranda Ducum sunt fortia facta minorum?  
Primum est ingenii portentum cuncta scientis;  
Istud at invictæ summo in discrimine mentis,  
Quæ veræ sibi laudis iter per grandia quærit  
Facta. Stetit tota Gallus diductus arena,  
Adversæque frequens munito in margine ripæ  
Suggestus tormentorum, variosque reductus,  
Egestæque tenet sinuosa cubilia terræ.  
Hinc hostem statuit Carolus detrudere ferro.  
Ergo modum gemini superandi fluminis affert  
Gradivo, & supplex illius sensa requirit.  
Inspicit ille, gravi censuræ subjicit omnes  
Discutiens apices, perpensisque omnibus hæret  
Attonitus, dein authorem complexibus arctis  
Ambiit, hæcque super demirans addidit ore:  
Per te mortalis se sustulit altius ipsa  
Conditio, poteritque ipsis inducere Divis  
Invidiam. Quem trajectum sub imagine parva  
Descriptum hic teneo, nisi scirem, haud esse putarem  
Humanæ partum mentis, quo quisque Deorum  
Majori posset cervicem attollere fastu.

Gratulor auctori, nec me pudet esse ministrum  
 Tantarum rerum. Confide, secundus abesse  
 Exitus haud poterit: curis effecta dabuntur  
 Cuncta meis. Ambo post talia dicta recedunt.  
 Nec secus Armipotens, quam dixit, singula curat.  
 Hostis ut incerto deceptas Marte cohortes  
 Dividat, hic, & ibi Carolus tellure levari  
 Mandavit colles, tormentaque collibus addi  
 Fallaces factura metus, delusus ut hostis  
 Nil ibi formidet, formido ubi vera fuisset.  
 Ad Dingelfingam navalı tramite Bernes  
 Assimulet geminum littus committere: Forgacz  
 Hoc ad Landavium fingat, densumque globorum  
 Effundat nimbū e positis per valla metallis,  
 Hostium ut intentis aliena in parte catervis  
 Isara transmitti nullo discrimine possit.  
 Hac quoque Danubii trajectus fraude paratur.  
 Qua fluvii medios intercipit insula cursus,  
 Daunius infertur: convectam educit arenam  
 In tumulos, mortesque, & rauca tonitrua jaεtat,  
 Convehit & grandes cæsis e saltibus alnos,  
 Mentitus reliquo tabulatum imponere fonti.  
 Arte pari plures alibi distendere certant  
 Adversas acies: illuc hæc turma locatur  
 Excubiis intenta suis; speculetur ut hostem,  
 Ista cohors alio se flectere limite debet;  
 Hæc igni fusos ad funera danda canales  
 In iussa statio[n]e locat. Cymbasque, ratesque  
 Ducere per lympham, magnisque tenere paratas  
 Usibus, hæc agili concredita cura Croatae est.  
 Sunt quoque, qui gerras, flexoque e vimine textos  
 Accumulent fasces certo numeroque, locoque.  
 Non modo res summas, ast & statuisse minores  
 Eximii Ducas est. Virtus Divina putatur  
 Sic mentem, & curas minimis addicere rebus,  
 Magnis ne desis, animo sed nosse capaci

Utraque

*Utraque complecti.* Quæ laus est propria, nostri  
 Qui Princeps Martis supremas tractat habenas.  
 Ille indeficiens dispensat in omnia pectus,  
 Nec patitur sapiens subitos emergere casus.  
 Interea nemorum conferto pondere flumen  
 Instratum, nostris famulanti tergore turmis  
 Præbet iter, levibusque volans transfertur habenis;  
 Excitumque simul diversis partibus hostem  
 Hussarus exagitat. Tunc facti unius honore  
 Bonserad accessum mittendæ in sæcula famæ  
 Invenit: exigua forma, numeroque celoces  
 Mergit aquis, denosque quater Mavortis alumnos  
 Robore præstanti fert ad declivia ripæ  
 Alterius, diros inter variis reboatus  
 Æris, & incursum geminæ, roburque cohortis  
 Sustinet immotus, donec numerosius agmen  
 Suppetiis venit. Valachus nec ponte, nec alno  
 Indigus, ipse sibi vector, sibi navis & ipse est.  
 Prora caput, remique manus, pectusque carina:  
 Extat aquis caput, alterno manus incita motu  
 Pulsatos scindit latices: ex ore machæra  
 Splendet, & e crasso manualis fistula collo.

Jam vobis, Galli, gracili de corpore ~~vestro~~  
 Plaudite, qui que isto præstanti noverit uti  
 Munere naturæ, venientibus undique vitam  
 Hostibus eripuit. Vix est superabilis ulli  
 Libertate fugæ Gallus, belloque fugaci  
 Semper adhuc vicit. Sed sarcina nulla moretur,  
 Implicitamque viam teneat, rerumque molestum  
 Pondus linquatur turmæ post terga ruenti.  
 Audimur: faciles ad iussa sequenda cohortes  
 Corpora proripiunt cursu. Dux Gallicus ipse  
 Exemplo prætit, & fulvi graviore levatus  
 Mole æris, plano diffusa per æquora campo  
 Evolat, & victor rabiem deludit inanem  
 Teutonis instantis. Quem lenti ignavia cruris

Non cito subduxit, pœnas expendit inertis  
Funere, & amittit pigro cum sanguine vitam.

Noſter ut adverſa fluvii tellure potitur  
Miles, & ingenti factum hoc æquale triumpho  
Omnes gratantur Carolo, delapsus Apollo  
Ætheris ex alto eſt, vultu, totaque figura  
Oris Avum hunc Caroli referens, qui ſaþe superbus  
Gallorum ſpoliis per fixa trophæa verendum  
Austriaci penetrale Jovis decoravit, & ultro  
Victorem verbis affatur talibus uſus:  
Ductor magne, tuæ ſalveto gloria ſtirpis.  
*Hoc te Virgineæ viðrici frondis honore*  
*Exornat Phœbus, primisque Heroibus infert.*  
*Sed mox Virgineum meliori e germine florem*  
*Austriaci Juno cœli tibi tradet habendum.*  
Dixit, & Ambroſiis afflavit odoribus auras,  
Seque celer librans cœli per inania fugit.  
Inſonuit cornu dimiſſo flexile nervo,  
Diſceſſuque Deus patuit. Suspensus in omnes  
It pavor, & quorū vertant oracula Divum,  
Ambigui variant distracto in pectore ſensuſ.  
Dux at aberrantem dubia formidine mentem  
Extemplo revocans, Francis iſſifere mandat,  
Conficit hostilis dum bella paventia terror.  
Jam Mars instructum ſtabat moturus in hostes  
Agmen, tum Scyticis legatio mittitur oris,  
Quod Thraces iterum fuſceptis urgeat armis  
Perſa tumens animis, quod pendeat iſſuper omnis  
Dacus ad internos discordi pectore motus,  
Et mox tingatur civili ſanguine bellum,  
Efferā corda ſuo niſi præſens Numine frænet.  
Mars agitat bis, terque caput: diſcedere durum eſt,  
Nec tamen auxilio vellet privare Gelonos,  
Saurometasque ſuo Geticorum Præſes agrorum,  
Tendit & illius glacialem vaſta ſub Hæmum  
Regia. Compages laterum firmatur ab ære:

Ære

Aere pavimentum fuso riget omne : perenni  
 Stant Adamante fores. Primis in faucibus hæret  
 Vestibulo capitum fanie, taboque fluentum  
 Horribilis series, populataque brachia sectis  
 Corporibus, putresque pedes, & pallida longo  
 Ossa situ: pendent immania rostra triremum,  
 Diffractæque fores. Intus de cæde recenti  
 Undique terra calet. Notas has visere sedes  
 Ut Mavors animo fixit, Ducis ora petivit,  
 Sicque prior: quo te, Princeps, complectar amore,  
 Ostensum satis est. Nunc corpora nostra revellit  
 Adversæ fortis casus (casumque renarrat)  
 Ast animos nullusque dies, nullusque locorum  
 Tractus sejungent: absentia, tempus & ipsum  
 Altius in pectus Carolum mihi condet. In armis  
 Sit semper fortuna tuis, omnesque triumphi,  
 Cunctaque bella tuo semper sub jure residant,  
 Divinumque meum tecum communico nomen,  
 Imperiumque meum: Geticum me regna Gradivum,  
 Austriacum posthac te dicent. Vive, tuumque  
 Hoc cum Danubii fluxu vitam extrahe felix;  
 Quin vivendo æqua diurnæ tempora famæ.  
 Hæc ait, atq; tenens humeros dextramque, supremum  
 Ore vale dixit, multo dimissus honore.  
 Et Princeps profugi sequitur vestigia Galli.  
 Sollicito Bavarus fata ulteriora timore  
 Opperiens, magno curarum fluctuat æstu.  
 Pertransit medium cæli nox languida metam,  
 Atque reversuro labentia cedere soli  
 Astra parant, & adhuc insomnis turba malorum  
 Exercet presso crudelem in corde tyrannum.  
 Ecce: repente suo visus se fistere nato  
 Maximilianus erat, dederatque has ore loquelas:  
 Non te debebant terrere exempla Parentis,  
 Fili? ne nostri renoves incommoda belli.  
 Nunc aula, Patria, terrisque expulsus avitis,

Incertumque feres circum loca plurima gressum  
 Infelix. Jam jamque aderunt trans flumina missæ  
 Austrriadum turmæ, timidoque a cive reposcent,  
 Obsidibusque datis pactas ex fœdere claves  
 Accipient urbis, vietricique ense subactis  
 Jura, tuis quondam populis, atque omnibus oris  
 Imponent domini. Thalamo cito proripe corpus:  
 Rumpe moras, fugiensq; manus evade propinquas  
 Bernklavii. His dictis abit indignatus in auras.  
 Pallidus effigie Patris, & terrore futuri  
 Præcipitata rapit turbato corpora lecto,  
 Seque ipsum interdum nimium properando retardat,  
 Ipsaque funestæ suspecta silentia noctis  
 Horret, & immota crebro cervice resistens,  
 Arrestis captat vicinos auribus hostes:  
 Effugit. Extemplo magna comitante caterva  
 Adstat Bernklavius, patulaeque infunditur urbi,  
 Et ter submissa viator dominatur in aula.

## §. II.

*Cæforum Gallorum manes magno numero ad Stygem  
confluent.*

**H**USSARUS at prono super ardua colla volantis  
 Pectore fusus equi, cursum detorquet in hostem,  
 Assequiturque celer, geminataque probra cruentum  
 In tergum condit lethali vulneris ictu.  
 Vixque pedum modico radens surgentia tactu  
 Gramina, districto fugientibus ense Croata  
 Incubat, aversoque inhonestam vulnere mortem  
 Infligit trepidis. Miseros nunc dicere Francos  
 Possimus, his quando nec Mars, aciesque volantes,  
 Prælia nec retro semper cedentia profunt.  
 Bella prius, fortis gladio cum dextera desit,  
 Gefferunt pedibus, fugitivaque pugna reduxit  
 In patriam salvos, refugum nunc sistere Martem,  
Noscit

Noscit & immissa cursus incidere gente  
 Carolus. Heu quanto deformis sanguine campus  
 Fumat, & assurgunt laceræ quo mortis acervi!  
 Tot tetras sine sole domos, & tristibus umbris  
 Pallentem subeunt Erebum, quod frigore primo  
 Decoctæ querna labuntur ab arbore frondes,  
 Conveniuntque nigra Cocytæ in fluminis ora.  
 Instabili titubant vestigia languida crure,  
 Cogitur & clausus de pectore flatus anhelo,  
 Ut nunc præcipitem primo per longa viarum  
 Francigenas frænasse fugam, cursumque slitisse  
 Agnoscas. Tantum vultusque manusque Croatæ,  
 Fulmineusque dedit terrorem Pannonicis ensis.  
 Lugubre pro solito modulamine murmur ab ore  
 Insonat, ut clangit feralem bubo per umbram,  
 Et queritur mœsta sub taxo devius ales.  
 Elle Charon Gallos crispata voce, modisque  
 Quamvis flebilibus novit, causamque rogavit,  
 Rursus ad infernas veniat quod tanta paludes  
 Copia, non capiant vasta quam mole triremes.  
 Aspicit immanes dextræ ferientis hiatus,  
 Libratique aciem chalybis, roburque lacerti  
 Intima rumpentis sectis præcordia costis  
 Miratur. Manesque suis e sedibus omnes  
 Certatim effusi, fœdo manantia tabo,  
 Lataque circumveunt perfoSSI corporis antra  
 Defixis oculis: imæ spiracula vitæ  
 Perterebrata stupent, exsectasque ense cavernas  
 Plagarum ingentes. Stygius sed navita turbæ  
 Impatiens animas ripa decidere mandat,  
 Et stomachans quercum pro nave minore capacem  
 Raptat, & oppositæ detrudit fluminis oræ.  
 Expanso solitum dum quærit in ore trientem,  
 Et nullum vacuo videt esse sub ore metallum,  
 Nescitisne mei consueta tributa laboris?  
 Increpitans ait, & per livida stagna minatur

Ad navale prius versam perducere classem.  
 Mæsta cohors lacrymis, verbisq; precantibus instans,  
 Hussarus, exclamat, calidam de corpore vitam,  
 Et quoque de bursis nummos expresserat omnes,  
 Nec naulo remanente quidem, quod pendere possem.  
 Illi hoc navigium dupli mercede locetur,  
 Nostraq; cum teneat, pretium quoq; nomine nostro  
 Persolvat: sic pars rapti pensabitur auri.  
 Portitor indignans, post Gallos mille, reponit,  
 Hussarus haud unus nostris venit advena regnis.  
 Cumque sit iste locus, grando seu densa ruisset,  
 Manibus obiectus vestris, an cernitis ullum  
 Hac de gente virum? Gallus plenusque pudore,  
 Atque metu trepidus furtim vaga lumina volvit,  
 Morosumque senem vera eructasse, dolore  
 Ictus corda gravi sentit, dejectaque vultu  
 Lumina in opposita consistit fixus arena,  
 Nescit & haerentem sub inani gutture vocem  
 Mittere. Reflexa crudus jam Porthmeus alno  
 Fætentem pigra putredine ceperat amnem  
 Verrere, tum vincitam terrore, pudoreque linguam  
 In miseros solvit major trepidatio questus.  
 Brachia protendunt, submissaque vota Charonti,  
 Ut per fatalem, subvecta puppe, paludem  
 Tollat, & optatis umbrarum sedibus addat.  
 Ille nihil contra, sed cepto tramite pergit  
 Concussos quassans impexo vertice canos.  
 Stupea jam reducem stringebant vincula navem.  
 Ecce: ruunt quatuor celerato ad littora gressu  
 Huniades, quorum vestigia pone sequuntur  
 Terribili totidem specie, fremituque Croatæ,  
 Horroremque ferunt secum, quacunque moventur.  
 Confusus subito crassam diverberat auram  
 Gallorum clamor, quo Styx tremefacta jacentes  
 Erexit latices, nigramque excussa per ulvam  
 Profiliit, custosque triceps immania clausit

Ora metu, caudamque horrente dracone recinctam  
 Ventri subjectam gestans, exesa cruentis  
 Ossibus antra petit timidus. Dis ipse nigranti  
 Procurrens aula quærit, quæ causa tumultus?  
 Turbet & æternæ quis regna silentia noctis?  
 Audit cœruleo Cocytii a flumine totum  
 Advolvi strepitum, trepidasque venire sub aures:  
 Nec mora: dimittit quosdam, qui certa reportent,  
 Et re percepta, mortali lumine cassos  
 Threicios equites, adducique imperat umbras  
 Ingentes Valachorum. Oculis primoribus haurit  
 Ut Deus immani defunctas corpore larvas,  
 Ignitasque animas tantam complere capaces  
 Membrorum molém, mens consternata videri  
 Paullum ejus poterat regnoque, sibique timentis,  
 Ne pacis, somnique locus turbetur ab istis  
 Hospitibus: curas factum vetus Herculis auget,  
 In superas ausus qui secum abducere terras  
 Infera tergemino terrentem regna latratu.  
 Ut propiore solo jussos confistere manes  
 Aspicit, ista, metum vultu celante, requirit:  
 Qui sint? cur tantum Gallis conspectus eorum  
 Horrorem incutiat? Stragem quis fecerit istam?  
 Excipiunt magno voces clamore supremas,  
 Et Carolus, Carolus, geminant, non sanguine  
     tantum,  
 Sed magnis Heros factis, Lotharumque vetusto  
 Stemate descendens hic tanti funeris author.  
 Nec nihil ad mortes armata hæc brachia ferro  
 Contulerant, imis hinc ossibus haustus inerrat  
 Terror adhuc Francis, notique hi cæde lacerti  
 Conceptum trepido refricant in corde timorem.  
 Est natale solum nobis non omnibus unum;  
 A primis aluit quatuor nos Agria cunis;  
 Istos eduxit Crisium. Sed plura parantes  
 Dicere Lethæo potare oblivious fonte,

Quemque

Quemque locum versa monstraverit Æacus urna,  
 Incoluisse jubet. Post hæc Dis ipse nitentes  
 Elysi campos, & amæna vireta subintrat,  
 Laurus odoratos nemorum qua densa recessus  
 Explicat, infusis vario per gramina flexu  
 Fontibus, has gracili peragrant qui murmure silvas,  
 Et nitidis ludunt undis, niveisque lapillis  
 Lucentem vitro referant sub gurgite fundum.  
 Candida crystallo veluti si lilia claudas,  
 Planta per hanc teneram transparent eburnea gem-  
 mam.

Undique perspicuo claræ se vellere lucis  
 Purior investit, depulsis nubibus, aer.  
 Labuntur Zephyri blandis per inania pennis,  
 Et lætos placido mulcent spiramine manes.  
 Has habitant silvas, hos campos fonte recentes  
 Magnanimi Heroes, quorum pars maxima cælo  
 Nata sub Austriaco factis super æthera nomen  
 Extulit Habspurgum; Lotharum profapia partem  
 Protulit, exemplo ut summis Heroibus essent,  
 Quamlibet hæc uno stirps utraque stipite surgens  
 In geminos posthac ramos divisa recessit.  
 His Erebi Rector præclara Nepotis eorum  
 Factaque, lætitiamque antiqua laude videntis  
 Stemmati impertit, dictisque his pectus, & aures  
 Occupat. Incipiunt ardere cupidine manes  
 Prolem nosse suam, præsentis & ora videre,  
 Et partos, ipso narrante, audire triumphos.  
 At contra famosa suæ primordia gentis,  
 Et spes venturas per mutua verba referre.  
 Dis redit: in reditu terræ per operta cruentum  
 Destillare stupet, neve eluvione labascant  
 Fundamenta, timet, lustrandaque singula censet.

## §. III.

*Post egregia quædam Ducum nostrorum facta Ba-  
variae lamenta referuntur.*

**Q**uales frondentis nemorosis vallibus Idæ  
Ut primum cervi longinquo e monte fre-  
mentis

Latratum canis accipiunt, fuga cæca, timorque  
Conglomerat pavidos, cornuque in terga reclini  
Abripit ancipiti per devia, & invia curiu;  
Gallus sic reliquus secreta per avia raptat  
Furtivum fugiens cursum, properanter ab omni  
Arce, locoque movens, rumor quoque ferebat  
Affore Germanos, qui torvo pectora vultu  
Hostem ferre sibi, firmoque obsistere gressu  
Magnanimum vellent, ut major gloria facti  
Surgat, & a magno veniens hæc ipsa labore  
Suavius afficiat spirantem grandia mentem.

Turba minor quoties, & longe turba minori  
Robore confertas vidit dare terga phalanges?  
Mille trahens equites secum Bretlachius, octo  
Millia Franciadum turpem celerare receptum  
Neoſtadio impellit. Gallis quis crederet octo,  
His quoque vallatis, nudati pectoris unum  
Præſtare Austriacum dextræque, animique vigore?  
Jam lubeat mecum Fridbergæ advertere gressum;  
Quo fe mixta cohors Gallisque, Boisque recepit,  
Tormentis, fossis, muris defensa, nitroque,  
Plumboque, & largæ demesso munere terræ  
In longos instructa dies, numeroque cohortum  
Præterea superans obversum mænibus agmen:  
Illa tamen nostri non unam pertulit horam  
Militis incursum, sed se turmæque; Ducesque  
Annonæque dedere domos, urbemque patentem;  
Se vinclis, cives, urbemque dedere favori,

Anno.

Annonæque domos spolio victoris. Et harum  
 Sublimem, Nadasde, levat te gloria rerum.  
 Ut Bavarus vidi retro ruere omnia, Martis  
 Damna sui reputans, morsu laniatur acerbo.  
 Exhaustus civis, deperdita fama, peremptus  
 Miles: agri, campi, pro fruge, cadavere tecti:  
 Ignibus, & ferro disiectæ a culmine turres,  
 Incertique animi sociorum, grandis egestas,  
 Omnia conspectum se dant collecta sub unum.  
 Formido, ira, dolor, stimulos sub pectori vertunt.  
 Non positis thalamo membris dat cura quietem:  
 Non fovet ulla quies, somnusve oblita laborum  
 Pectora, sed crescens magis incubat usque, magisque  
 Tormentum crudele, agmenque exangue malorum.  
 Nox currus medium molitur in æthera, donans  
 Grata ærumnosæ multis oblia vitæ,  
 Non tamen & Bavarо: ingeminant luctusque, do-  
 lorque

Invigilantque animis, donec defecta labarent  
 Corpora, & optatae simularent signa quietis.  
 En tibi: lugubri plangens Bojaria vultu  
 Vix nescenda venit: concreti sanguine crines,  
 Liventesque oculi lacrymarum flumine manant:  
 Corpus hiat plagis, serpitque in vulnere vulnus,  
 Et laceri laceris extant de vestibus artus.  
 Bis conata loqui, bis vox frustrata volentem est.  
 Ingens destituit solitis dolor ora loqueli.  
 Hæc tandem luctans, fletu sua verba sequente,  
 Extrudit: fidam per tanta pericula cernis  
 Bavariam. Potuit mihi cives hostis, & urbes,  
 Divitiasque, fidem solam eripuisse nequivit.  
 Aspice currentem de corpore sanguinis imbre,  
 Nullaque vulneribus vel membra, vel ossa vacare  
 Aspice. Discissi gladiis crudelibus artus  
 Ægre hærent, aut sunt penitus de corpore vulsi.  
 Non opus est verbis: cernis mea vulnera, cernis,  
 Utque

Utque reor , tristi feriunt tua pectora sensu.  
 Si liceat famulæ Dominumque, Patremque rogare,  
 Hac Dominum , hac Patrem rogo voce : recede  
 novato

Fœdere ad Austriacos : istud mihi, quæso, precanti,  
 Atque tibi præbe. Nam quo fera bella parasti  
 Tempore, procubuit tristi convulsa ruina  
 Res tua. Strata jacent firmis tecta ardua muris :  
 Busta , cinisque tegit modicus , quæ ducta præalto  
 Fornice , faxosis tumuit suffulta columnis  
 Ambitiosa domus , vel quæ castella sub auras  
 Murorum ingenti circumdata mole steterunt.  
 Quin totas urbes inter sua rudera quæras.

Quodque magis miserum, socii plus hostibus ipsis  
 Damnorum intulerant. Quare adjutore molesto ,  
 Nosque importuno , teque exime Cæsar amico.  
 Hanc ego per dextram , per dulcis gaudia Nati  
 In spes imperii , inque Patrum decora alta suorum  
 Læte assurgentis : per sceptra verenda, fidemque,  
 Perque meas lacrymas , & fidos semper amores ,  
 Te quibus exceptum hoc gremio fovique, tulique  
 A teneris , rerumque fui studiosa tuarum ,  
 Qualis semper ero , donec fluet ultimus ore  
 Halitus , intentos jugulo , jam jamque ferentes  
 Excidium gladios nostra cervice repelle.

Instaura fœdus : jungantur pectore rursus ,  
 Quos antiqua fides , sanguis , naturaque junxit,  
 Hæc ait , & lacrymans vestigia tarda retorquet.  
 Per nebulam veluti Princeps hæc omnia vidit ,  
 Et simul audivit : nec enim mens pressa sopore ,  
 Sed curis gravibus languentia membra jacebant  
 Officiis orbata suis. Miseranda movebat  
 Hæc Patriæ species, lacrymæq; , precesq; movebant.  
 Sed diu, quod pietas , animus , res, ipsaque suadent  
 Commoda, suspensum retrahente pudore pependit.  
 Ut penitus , mentis detersa nube , serenum ,

Et

Et ratio rediit, placido sic pectori secum:  
*Bruma gelu, rigidoque horrens Aquilone recedit,*  
*Ult vernis tempus se reddit amabile pratis.*  
*Purpureis iterum dum fræna nitentia Phæbus*  
*Jungit equis, pulsis nox diffugit atra tenebris.*  
*Ipse Notus crebro secundo depluus imbre,*  
*Sævo exercentem disjectos turbine campos*  
*Eurum, vi fracta, turbatis submovet arvis.*  
*Et nos non ipsi discamus cedere fato*  
*In varios nati communi lege labores?*  
*Cede Deo, sortique tuæ, ventisque sinistris,*  
*Contrahe vela, sinus dum non complere secundos,*  
*Concessum est. Mediis quassata nave sub undis*  
*Destituunt socii. Fidei qui pignora primi*  
*Deseruere, istos tu defere, tutaque quære.*

### §. III.

#### *Vana hostium molimina.*

**F**Raus dudum metuens, fractus ne cladibus istis  
*Austriacas Bavarus partes, laurosque sequatur,*  
*Ingressus captat lenes, & mollia fandi*  
*Tempora, ut exploret, firmetque in fædere pectus.*  
*Asciscit varios mutato corpore vultus,*  
*Seque vafre insinuat: nunc his, nunc artibus illis*  
*Pertentat solers animum, simul ora, loquelas*  
*Dispicit, & motus aulæ, minimosque paratus.*  
*Hunc ut nutantem sentit, jam fronte, colore*  
*Legato similis, jam vultu, & voce ministrum*  
*Cæsaris assimulans aliud quasi agendo laborat*  
*In sumptis Bavarum defigere firmiter armis.*  
*Jam dictis obiter delibat, Roma, ruinas*  
*Imperiosa tuas, & prospera busta tuorum,*  
*E quibus, excisa magnæ Carthaginis arce,*  
*Ad gemini imperium mundi eluctata, tulisti*  
*Altius hoc sublime caput, quo pluribus ante*  
*Funeribus prostrita, tuo vicinior esse*

Exitio visa es: nexus hinc delabitur apto,  
 Crebrius ut primis progressibus ultima cedant.  
 Jam nova pacta crepat, formidandosque recentis  
 Militis adventus. At ubi cernebat inanes  
 Conatus frangi, cedit, sed tempore capto  
 Ut gressum referens ceptis vehementius inflet.  
 Advocat interea famulas, sociasque fideles,  
 Et pleno lactis pubentia lilia succo,  
 Messaque sub lunam curvamine falcis ahena,  
 Afferrique alias poscit sibi protinus herbas.  
 Ipsa parat patulo mortaria plurima ventre,  
 Ingentesque locat conflato ex ære lebetes.  
 Hasque tamen curas inter non desinit aulam  
 Observare; vias omnes, aditusque pererrat.  
 Jam famulæ calathis cendentia germina plenis  
 Convectant. Florum diverso plurima nimbo  
 Tempestas operit fragrantes undique cellas.  
 Fraus adducta togam, gremiumque incincta parata  
 Syndone, commixtas niveis cum floribus herbas  
 Adductis quassat valide, multumque lacertis.  
 Hoc reliquæ faciunt famulæ, tunduntque, teruntque,  
 Æraque subjiciunt fletos captura liquores.  
 Fervet opus: rivis sudor fluit undique, pressat  
 Arentes fauces, & anhelitus ora fatigat.  
 Jamque fere cunctis cerebrum vertigine magna  
 Gyratur. Tantas exhalant Gallica vires  
 Lilia, sic vertunt caput, involvuntque tenebris.  
 Fraus isto replet varias humore lagenas,  
 Sedulaque obmunit, ne quid transpiret in auras,  
 Et robur minuat. Celeri tum versa figura  
 Conscia testa petit, loquitur, vitrumque loquendo  
 Recludit. Cerebrum ascendit vivaxque, potensque  
 Spiritus, & turbat, Fraudisque in dicta sequates  
 Omnes adducit, jam rursum arma, arma frementes.  
 Fraus hoc exultat facto, simul imminet omni  
 Ipsa loco, sociæque ejus, qua parte morari,

Aut inhibere queat qua nostros arte triumphos.  
 In nigrum fertur lucum, bivioque resistens  
 Ææo magicum virgulto circinat orbem,  
 Medæumque tonans carmen, de tristibus orci  
 Sedibus auxilium poscit, ternerisque forores  
 Stans circa in medio doctæ medicamine linguae  
 Imi tartareo barathri de gurgite clamat.  
 Fœda, atrox, horrenda Stygis, noctisque propago  
 Horrificos inter terræ, nemorumque boatus  
 E terra erumpit, fumantem de pice tædam  
 Concutiens, circumque truci inflammata furore  
 Lumina, & horribiles nigranti sanguine vultus  
 Torquet. Fœmineis torti pro crinibus angues  
 Ora volubilibus lingunt stridentia linguis,  
 Vipereum tumido jaculantes ore venenum.  
 Obriguit primo Fraus ipsa exterrita visu,  
 Turbatisque hiscens verbis tandem ista profatur:  
 Qui gravis infedit Bojorum pectora terror,  
 Hunc arcete, precor. Torpentem impellite venis  
 Sanguinem, & ingestis animos succendite tædis,  
 Audeat ut contra stare hōstem, & fronte venire  
 Obversa, fortique animo cum vulnere mortem  
 Ferre, patique ardens discat. Quibus ista patretis,  
 Mille modi superant fæcundo in pectore vestro.  
 Exulando tetur Furiæ, præstabimus, ajunt,  
 Quod petis. Incumbunt operi, sanieque recenti  
 Illita, in ingentes pascunt funalia flamas,  
 Irritantque iras serpentum, seque furentes  
 Exacuunt, raptimque feræ vestigia volvunt,  
 Partitæque plagas inter se, ac tecta domorum  
 Bacchantur. Dum homines proflant de pectore  
     somnum,  
 Ædibus illapsæ dant in præcordia virus.  
 Ut vero insinuat furibunda per ilia pestis,  
 Excutitur somnus: cursatur: ad arma vocantum,  
 Seque instigantium clamor Matrumque, Virumque  
     Inten-

Intonat. Indomitis elisus vocibus æther  
 Concuditur. Vincens imbellem fœmina sexum  
 Sævit, & insolitis pugnat nova miles in armis:  
 Ferventes latices, ignitaque saxa, picemque,  
 Et tintas cera stupas, & sulphure multo  
 Inductas tollit fastigia ad alta domorum,  
 Mole urgente caput, sed vires dante furore,  
 Hisque petit telis infusum mænibus hostem  
 Ex alto. Cives pariter rubigine longa  
 Vaginæ incretos gladios educere, bini  
 Hic & ibi, obnixi pédibus, geminaque trahentes  
 In diversa manu certant, in terga supini  
 Ut plures ruerent, cedente repente machæra.  
 Erigitur saxis acies, & cotibus asper  
 Lævatur mucro, purgantur & æra minori  
 In longum protensa tubo. Pars magna colonis  
 Conjurata coit pariter, clavasque trinodes,  
 Et falces, furcas, vectes, quæque obvia dextris  
 Obtulit arma furor, raptat. De monte revulsa  
 Saxa ignitarum partes subiere pilarum,  
 Ne fors insueto nares obtundat odore  
 Sulphur, & accensos comprendat flamma capillos,  
 Exuratque supercilium. Loca inhospita petris  
 Pro castris munit. Convectat opaca ferarum  
 Tecta, viaque omni silvarum ingentia stipat  
 Robora, & attentans insana laceffere bella  
 Ostentat latos humeros, crassosque lacertos  
 Eredit, & crebris vacuam ferit istibus auram.  
 Ponit at extemplo stimulis furialibus ardens  
 Ira, furorque, venit rigida dum lege probata  
 Virtus, & firmus veterani militis ordo.  
 Vix Carolus turmæ motus excepit agrestis,  
 Sensit & urbanos lymphato in cive furores,  
 Illius imperio vesanos acrius urget  
 Immissus miles. Dum plures corpore plumbum,  
 Lethiferumque ensem capulo tenus ima per ossa

Excepere, furor compressus, & impetus omnis  
 In tectis, & agris deferbuit. Antra colonus  
 Silvarum fugiens tenebris horrentia quærit.  
 Civis submisso veniam, vitamque precatur  
 Poplite, pretendens, cepit quos Numine lævo,  
 Distrinxitque amens gladios. Sic Teutonis ense,  
 Dextraque illius de corde excussa Megæra  
 Agricolæ, civique fuit. Quo talia fiunt  
 Pectore, Fraus oculis fucum factura, remotis  
 Est commenta locis varios venisse triumphos,  
 Multorumque diu male credula pectora lusit  
 Callida. Präcones alios, aliosque veredis  
 Francofurto infert, pleno qui tendere cursu  
 Per fora, per plateas in claras Principis ædes,  
 Continuoque cavis animam inspirare jubentur  
 Æribus, urbe omni festo resonante tumultu.  
 Nunc in equis plures denis, ducente tribuno,  
 Illati portis, similes Euroque, Notoque  
 Quadrupedante ruunt sonitu, lituique recurvi  
 Stridorem plenis effundunt oribus omnes,  
 Prostratosque ferunt vanis clamoribus hostes.  
 Nunc prope triginta, claro quos sanguine Princeps  
 Sicano prævectus equo per compita fecum  
 Abripit, attonitam frænis undantibus urbem  
 Prævolitant, omnesque replent tinnitibus aures,  
 Et captam spargunt memorandi nominis arcem.  
 Ferrata sub calce solum fervetque, mictaque  
 Ignè lacestimum crebro. Late intremere omnis  
 Cornipedumque, hominumque, acrique fragore tu-  
 barum  
 Urbs visa est. Vacuis cuncti procurrere tectis:  
 Miscentur puerisque nurus, senibusque puellæ:  
 Omnia lætitiaque strepunt, plausuque secundo.  
 Gaudia vix Bavarus capiens, spem concipit, omnem  
 Se mox Europam vasta ditione tenere,  
 Si modo firma suum servet Fortuna tenorem.

## §. IV.

*Bavari Ducis cum nostro colloquium.*

Excipit hæc digno Carolus Iudibia risu,  
 Figmentisque locum nullis sinit amplius esse.  
 Instat ubique, premit, disjectat, millia mactat  
 Multa, & multa capit, Boicæque ad flumina Lici  
 Reliquias turmæ, solum conclusit & agmen  
 Semianimumque metu, longoque labore viarum  
 Exhaustum. Pedites ab humo vix crura revellunt:  
 Æger agit sonipes pulsata per ilia vitam,  
 Sanguineumque licet pectus pede tunsus acuto,  
 Immotus spatiis, & gressibus hæret iisdem.  
 Ut Gallus flumenque fugæ, fractasque virorum  
 Et jumentorum vires obsistere sensit,  
 Se non oblitus concussum fertile pectus,  
 Sequé, suosque celer Bavari post tergora fletit  
 Militis, huncque iterum gladiis objectat, & armis.  
 Jamque istud Teuto diffusis cornibus ambit,  
 Atque suis medium jam destinat ictibus agmen.  
 Hic Bavarus Ductor suetas conversus ad artes,  
 Quas aliter nequirit, tractando fœdera, turmas  
 Attentat servare suas, auresque benignas  
 Principis expetiit Caroli, pacemque novari.  
 At sapiens Princeps, populi miseratus iniquam  
 Fortunam, statuit dandam cum pace salutem,  
 Hanc tamen a Boico pœnam Ductore petendam,  
 Ille ferens ut conspectum rivalis, & ora  
 Khevenhülleri victoris poscat egenis  
 Rebus opem, tutamque sibi, gentique quietem  
 Exoret. Jamque ille Ducis castra æmula tangat  
 Ni subito veniat diffusus ab æthere nimbus,  
 Et pluviis violentus aquis ruat undique torrens  
 Montibus, & toti tempestas hæreat ingens  
 Inglobulata polo: trepidans hoc Gallia tempus

Esse suum rata, postremas in corpore vires,  
 Inque anima cogit (tantum timor ultimus urget)  
 Difficilesque vias pluvia, limoque tenaces  
 Nocte sub horrenda molitur, & inter hiatus  
 Arctos faxorum luctans, vallesque profundas  
 Prosequitur trepidum in patriam properando re-  
 gressum.

Hæc inter tenebris paulatim, & nubibus æther  
 Solvitur, & se se teœti caligine spissa  
 Evolvunt montes, Bavarus stipante cohorte  
 Dux venit, & jussis succedit sedibus hospes:  
 Paœta ligat, paœta Oeno, Licoque rigata  
 Additur ora, suisque omnes cum juribus arces.  
 Multa tamen veris suspecta inserpere, Ductor  
 Advertit Noster, quæ discutienda Viennam  
 Nuntiat, ipse leves post castra fugacia turmas  
 Expedit, extempsa reliqua cum parte secutus.  
 Quam capiat ripæ tamen ulterioris arenam  
 Pauca hæc ante suis: necdum minor orbita lunæ  
 Confecto Cæli tractu, permensa secundum  
 Est cursum, & jam vincendo peragrafatis id amplum  
 Terrarum spatium: nunc hostis, gloria, spesque  
 Evocat ulterius: major seges instat honorum.  
 Imperium ingredimur veluti sublime theatrum  
 Vestrarum laudum: celebrata ad littora Rheni  
 Tendimus. O animis magnis! o pœtore firmo  
 Invadamus iter: veteres depromite vires,  
 Quas toties orbis, quas tot, tantique stupentes  
 Senserunt hostes, omnis quas suspicit ora,  
 Queis nixus totum sub legem misero mundum.  
 Hæc ait, & puppim Carolo cum Principe scandit.  
 Cymba capax gemuit tanta gravitate virorum,  
 Et titubans utrumque latus, bibitura sit undam,  
 Sed propere viridi contexta sedilia musco  
 Linquens ipse Pater Licus, nutantia navis  
 Robora, ut æquatis trans flumen partibus irent,

Suppo-

Suppositis fulcit manibus, ripæque cupitæ  
 Sistit, & Heroes veneratus, redditur imis  
 Fontibus, usque viros, quales, quantique fuissent,  
 Admirans. Postquam miles trajecerat omnis,  
 Ortus lætitia fremitus, clamorque per auras  
 Bellicus assurgit. Patriam pacasse, novisque  
 Amplificasse juvat regnis, & plura subinde  
 Addere. Parta manu forti, pariendaque lucræ  
 Attolunt animos. E vultu, murmure, gestu  
 Apparet viator miles, gradiensque triumphis.

## LIBELLUS TERTIUS.

*Victorem exercitum nostrum ad Rhe-  
 num deducit.*

### §. I.

*Iter Austriacarum legionum per Imperium.*

UNDIQUE Terra Paren's nostræ vestigia turmæ  
 Germine viætri signat: mirantur & ipsi  
 Se montes steriles isto pubescere fœtu.  
 Alma cupit Tellus quovis de semine lauros  
 Reddere: pro culmis lauros, pro cespite lauros  
 Nititur: his campos, agros, his cana virere  
 Saxa velit. Nam cum Germanus ubique relinquat  
 Virtutis monumenta suæ, cum copia rerum  
 Gestarum numero careat, Natura laborat  
 Et sine mensura, subque omni limite frondes  
 Gignere Phæbeas, meritarum insignia laudum.  
 Talem Teuto viam carpit. Trepidatio, Pallor,  
 Horribilisque Pavor longe prætervolat agmen.  
 Impetus ordinibus mixtus se raptat anhelis  
 Passibus. At Carolo Victoria, Gloria fidæ  
 Junguntur lateris sociæ: Constantia tergum  
 Pone subit: fert ante gradum Sapientia, longam

Præmeditata viam, seriemque, modumque laborum.  
 Jam qua pampinea crines umbrante corona  
 Neccarus educit vites, exercitus adstat.  
 Hic Ducibus veneranda viri se obvertit imago,  
 Aurea Cæsareo majestas vertice splendet,  
 Deque humeris Tyrio regalis amictus honore  
 Desfluus allambit talos, & dextera sceptrum  
 Gestat, læva manus sed Bulla illustre volumen  
 Aurea, & ille prior vultu, salvete, sereno  
 Incipit, Heroes, vestræ duo fulmina gentis,  
 Qui libertatem Imperii, labefactaque jura,  
 Atque peregrino violatas milite leges  
 Fortibus asseritis gladiis. Germania nomen  
 Antiquum per vos recipit, veteremque nitorem  
 Polluti ritus. Pulchros, justosque secundat  
 Cælum conatus: hoc auspice cuncta geruntur  
 Prospера. Victus adhuc omnis, concisus & hostis  
 Procubuit, qui vos bello, vel fraude petivit.  
 Jamque iterum læti profugis instatis, & illos  
 Semineces jacitis patrii trans fluminis oram.  
 Pergite, sicutque suos intra compingite fines,  
 Terreat ut posthac vel mentio sola regressus.  
 Nomen utrique quidem jam magnum solis ab ortu  
 Tenditur extremas defessi Atlantis ad oras.  
 Sed te præcipue, te sanguis Regie, merces  
 Magna manet, sunt magna tuæ quoque præmia stirpi,  
 Quod decus Imperii, magno turbante tumultu,  
 Vertice de vestro varians Fortuna removit,  
 Mansurum vestra posthac in gente, reponet.  
 Et tibi nativo positum patet aëre regnum,  
 Neve hoc contentus, vasto sed fine relaxans  
 Extentas Patriæ terras, religabis in unum,  
 Quo se cunque prius florens Austria fudit.  
 Sed quid ego longum viætrices demoror enses?  
 I Princeps, terrore hostes, virtutibus orbem,  
 Et superas imple meritis ingentibus arces.

## §. II.

*Communis Habsburgæ, & Lotharingæ Domui origo,  
Et præstantium e prima stirpe virorum laudes  
enarrantur.*

**C**arolus arrestus regni venientis amore  
Francigenis inhiat, dum lumina, Phæbe, mi-  
nistras,

Teque cadente, supra galeam, thoracaque somno  
Membra brevi reficit, vigilataque cetera noctis  
Tempora adornandis consumit ab hoste triumphis.  
Dum gravius Titan homines, pecudesque perurit,  
Torridaque in campis, & agris stat hiantibus æstas,  
Ne calor enervet, morbis aut agmina carpat,  
Cura Ducis, prudens & amor, studiumque, cohortes  
Non nisi frigentis nocturno lumine noctis  
Tendere jussit iter. *Duris affuescere miles,*  
*Non frangi debet.* Fors prima luce diei  
Tectis magnificam, pinnis, & ab aggere fortem  
Post iter aspiciunt urbem, murosque subintrant.  
Annoso quamvis, blando tamen ore ferebat  
Obvia se Virgo. *Vultu reddebat Ianum*  
Duplice, quo pectusque suum, tergumque videbat.  
Hoc antiqua notat magnorum facta virorum,  
Ilo viventum præstantes excipit ausus,  
Inciditque cedris, serumque immittit in ævum.  
Divam invitantem studiis, paribusque loquendi  
Officiis æquat Princeps, comitatus euntem.

Monte super celso moles augusta superbit,  
Ampla, ingens, centumque diem patefacta fenestris  
Accipit, & visum partes deducit in omnes.  
Ærati stridunt resonanti cardine postes,  
Hocque inscripta brevi nitet aurea bractea versu:  
Hanc sibi perpetuam statuit Sapientia sedem.  
Ut vero motæ referarent atria portæ,  
Perstricti multaque die, radiisque micantis

Auri caligant oculi, visumque retusum  
 Obliquat vario lux accumulata metallo.  
 Insigni specie ducti de marmore vultus,  
 Inque Corinthiaco spirantes ære figuræ  
 Longa dispositæ serie, stant ordine pulchro.  
 Rudolphus folio, trabeato murice fulgens  
 Insidet, atque Crucis signum pro pondere sceptri  
 Constringens dextra, fausti tenet omina regni.  
*Hic cælum virtute sua, mundumque triumphis,*  
*Omneque progenie complexus temporis ævum.*  
 Bellatoris equi super ardua terga receptus,  
 Pugnantisque habitu recta spectatur in hostem  
 Albertus strictaque acie, cursuque citato.  
 Frons tempestates, oculusque minatur uterque  
 Fulmina, jamque tonans timeas erumpere murmur  
 Casside sub clausa. Hic electo Cæsare census  
 Dignior, & meritis quem vicit, vicit & armis,  
 Detraçtumque sua dextra sibi sumpserat ostrum,  
 Seque ipsum victor spoliis ornabat opimis.  
 Proximus huic Pulcher pulchro cognomine dictus  
 Adstat. Obit corpus procerum splendor ahenus,  
 Insertis auri radiis. Insignis & auro  
 Cristatae conus galeæ se vertice tollit,  
 Aureus adstringit gemmatum baltheus ensem,  
 Et manibus Steropes Siculo sudatus in antro  
 Herois pectus thorax argenteus ambit.  
 Solve caput galea, preme lauri fronde solutas,  
 Flaventesque comas, humeris impone pharetram,  
 Spectabis Phœbum, qualem de flumine Xanti  
 Maternam vates ajunt invisere Delon.  
 Hujus ab egregio species hæc emicat ore,  
 Ut timeat sumptis Ars ipsa referre tabellis.  
 Parque animi decor est, nullus quem congruus ornat  
 Laudis honor, defunct tantis quia nomina rebus.  
 Post alter Fridericus erat, velatus oliva,  
 Pacifico pacis studio cui nomen inhæfit.

Hunc

Hunc qui consequitur, celso supereminet omnes  
 Vertice, & Herculeis aptus fulcire lacertis  
 Cæliferum Regem, Qui pectus & arma Gradivi,  
*Alcidisque humeros, superumque arcana scientem*  
*Nosse cupit Clarium, te, Maxmiliane, videndo*  
*Noverit hos uno ternos in corpore Divos.*  
 Carolus at Princeps oculis, animisque moratur  
 Cæsar's illius statua, quem nomine reddit.  
 Hic vir, hic est, cuius magnis unius ab actis  
 Mille voluminibus per scrinia plena locatis  
 Bibliotheca ingens surgat, cui sternere fortis  
 Proprium, & invicto contundere Marte superbos.  
 Quos nec Pellæus vicit, populusque Quirinus,  
 Oceani, & terræ domitor, novere repostos  
 Axe sub inverso populos, Ditiique propinquos,  
 Saxa ubi visceribus pariunt prægnantibus aurum,  
 Æternique immensa coquunt æraria census:  
 Hæc loca vasta situ, multisque feracia gazis,  
 Sideribusque novis, alioque frumentia cælo  
 Adjunxit regnisque suis, sceptrisque revinxit  
 Maximus hic Heros. Strictim si nomina laudum  
 Plura cupis, domitos Afros superadde subactis  
 Antipodis, vitam Europam, ductosque triumphis  
 Captivos Reges, armis, opibusque potentes,  
 Huncque deinde stupe victorem totius orbis  
 A se ipso viatum, spoliatumque orbe fuisse.  
 Ut Lotharus Princeps acie permensus acuta  
 Omnia, virtutesque viri, laudesque notavit,  
 Æmulus exarsit totis ex ossibus ardor,  
 Inque genas, magnæ, pulchræque cupidinis index,  
 Se calor accenso proruptus sanguine fudit,  
 Cæsareusque simul tremula cum sede colossum,  
 Incinctusque ensis lateri, cassisque moveri,  
 Et Diva ad Carolum vultu conversa sereno  
 En, ait, iste parem sibi magnus hic indicat Heros.  
 Sed bene dissimulans Princeps, eludit ameno

Talia

Talia dicta joco. Fernandi postea visi  
 Tergemini, qui templa Deo, veteremque, piumque  
 Cælicolis cultum, Fidei sacra dogmata, civi  
 Mores reddebant suffulti Numine, cuius  
 Se defensores, Erebo ringente, dederunt.  
 Occurrit Leopoldus ibi, cui grandia Magnum  
 Facta laborarunt nomen. Jam Pannonia tellus  
 Turcica, jamque foret versis Germania fatis  
 Gallica, ni sapiens, & cælo plenus, & armis  
 Inclytus, Imperii labentia fatæ stitisset.  
 Ut rupes ingens, circa quam rauca tumentis  
 Ira maris latrat, rabiem deridet inanem,  
 Seque oppugnantes glomeratis fluctibus undas  
 Rejicit, & falsæ fractas illidit arenæ  
 Ingenti gemitu. Pontus timet ipse rigentem  
 Saucius, & celeri refugit sub littora lapsu;  
 Obsellus validis sic undique & undique Cæsar  
 Hostibus, immani cum clade represserat omnes.  
 Patri junctus adest natus. Quæ gratia fortis  
 Ore sedet, quantusque vigor, quantumque juventæ  
 Egregiæ lumen rosea de fronte relucet!  
 Æthereas æquant oculorum sidera flamas,  
 Piæta incenduntur rutilanti labra Pyropo,  
 Ambit Amor, pulchroq; Timor moderamine vultum,  
 Ut rear ex equo dici potuisse beatos,  
 Quosq; necis pœna Josephi nobilis ira,  
 Et quos dignata est vita clementia major.  
 Fratri at effigiem primum certabat in auro  
 Artificum finxisse manus, Virtute Magistra,  
 Quæ moderatur opus. Visis hoc ordine formis,  
 Interiora sui Virgo spectacula tecti  
 Pandit, & inducit Carolum. Penetralia circum  
 Acclinata jacent muro tabulata, capaci  
 Lata sinu, aurata portant quæ fronte columnæ,  
 Inque suas adstant discreta volumina partes.  
 Scrinia plena sub docto pondere sudant.

Singul.

Singula dum Princeps, mira dulcedine captus  
 Perlustrat, complexa suos monumenta labores.  
 Longa stare videt serie. Locus iste triumphos  
 Exhibit Odrysios. Victoria quod Cornia bellum,  
 Quamque Getis raptam mirata Meadia laurum est,  
 Plurima, quæque suo titulum fert tergore scriptum,  
 Pagina commemorat. Numero codice narrat  
 Pars hæc Moravia pulsum cum Saxone Brussum.  
 Felicique alibi certata Bohemia Marte,  
 Alitibusque bonis hosti direpta quaterno  
 Vastis signatur libris. Tomus ille receptam  
 Astu Tetinam pulchro, & nil tale timentes  
 Marte improviso Gallos ex arce petrofa  
 Excusso, longaque fuga, trepidoque receptu  
 Exanimes, ipsis Pragensis mœnibus urbis  
 Indicat impulsos. Quæ proxima charta locata est,  
 Czaslaviense refert certamen. Ut incidit istis  
 Principis obtutus libris, amota retorsit  
 Lumina, transiliens alibi se cernere fingit,  
 Quod revocet vultus. Muro pendebat imago,  
 Quæ ternos longaque viros in veste, nigraque  
 Crinibus abrasis monstrat. Tum Carolus, an non  
 Habsburgæ primus, Lotharæque propaginis author,  
 Hugo sit iste, rogat, medius qui cernitur? Ipse est,  
 Respondet Virgo. Dextra qui parte videtur,  
 Est Eberhardus, quem Stemmati esse fatorem  
 Et Patrem vestri, dicunt. Guntramus at alter  
 Divitiis, armisque potens, qui stirpis origo  
 Et caput Habsburgæ fertur. Dein plurima fatur,  
 Quomodo stemma duplex se sanguine scindat ab uno.  
 Sedibus his longo sunt nexa cubilia tractu.  
 Ordine quod primum sese venientibus offert,  
 Scribendo hic multi calamos, dextramque fatigant.  
 Sæpe manus parens animo celerare volenti  
 Deficit, & medium, quo littera rapta volabat,  
 Destituit cursum. Tum tanto, Carolus, inquit,  
 Conge,

Congeritur quid ab his studio? quæ nata recenter  
 Facta virum, gaudent avidis committere chartis,  
 Diva refert. Gressum proprius scribentibus ille  
 Admovet, huncque unum videt omnibus esse la-  
 borem,

Semper victuris annalibus addere laudes,  
 Et Boici fructus belli. Cui prodere chartis  
 Brunovii pugnam incubuit, jam pene peractum  
 Ad calcem perduxit opus. Famosus at Istri  
 Trajectus, solaque fame Straubinga subacta,  
 Sunt nondum exacto fastis inserta labore.

### §. III.

#### *Deditio Ingolstadii nunciatur.*

**T**UM non credibilis surrectas avocat aures  
 Fama, Ingolstadium, jurique, armisque co-  
 hortum

Nostrarum esse datum. Mendacia qualia fictis  
 Fama, seris verbis? quid? inexpugnabile castrum,  
 Quod propriis, sociumque armis auferre nequivit  
 Suecia, id Austriacos paucis cepisse diebus?

Vix humus ad muros finioso effossa meatu  
 Fecit iter, vix sub terra multiplice currens  
 Semita Mæandro patuit: non machina belli  
 Centenis ructans æratum faucibus ignem  
 Disceptos ima muros radice revulsit.

Plena prius volitent armamentaria, muri  
 Rumpantur, multisque animis, largoque litetur  
 Sanguine, tum quemdam veri tua dicta colorem,  
 Garrula Diva, ferent. Nunc tanti nominis arcem  
 In nostras ivisse manus quis credere possit?

Ante inspexisses cortinas, mœnia, fossas,  
 Ingentesque minas vallorum, & ab ære rigentes  
 Custodes multo saturos plumboque, nitroque,  
 Omnia qui positi stant propugnacula circum,

Præsidioque datas numerasses ante catervas,  
 Teque hoc figmentum vulgare per ora puderet.  
 Insuper arcis adest Gallus defensor, id unum  
 Sufficit, ut tempus longa obsidione teratur.  
 Omnia sed nulla diffundit fœmina mente.  
 Talia multorum lacerant dictoria Famam  
 Ira inflammatam, injustique dolore pudoris.  
 Vix abiit, volucri præconem Cyllarus affert  
 Tergore, prædictæ qui dedita nunciat arcis  
 Limina, & attoniti cuncti sine voce steterunt;  
 Sed subito magno resonant exorta tumultu  
 Gaudia: gratantium plausu loca cuncta resultant.  
 Divaque sic Carolo: Ars, Virtus, Deus, omnia tecum  
 Decerant, Heros ingens. Pro milite multo  
 Grande tuum servit præcursos nomen in hostes,  
 Quique locis latitant firmis post terga relicti,  
 Hos per delectos magna ratione tribunos  
 Ipsis cum claustris subigis. Ne tardius unquam  
 Hæreat ad muros bellum, spatiisque lucentur  
 Hostes disjectas iterum componere vires,  
 Ipse quidem semper præsens fugientibus instas;  
 Ne tamen a tergis castella manentia quidquam  
 Officiant, simul hic præsens ex parte videris.  
 Nam cum mente vides ampla, quo quisque vigore  
 Pectoris: ingenii, & manuum quo robore præstet,  
 Hosque effectores operum legis inde tuorum,  
 Qui reliquos superant, horum pugnare lacertis,  
 Inque istis coram spectaris ubique locorum.  
*Sic unus multisque locis, manibusque triumphas.*  
 Est tibi præterea nullis prius agnitus usus  
 Pugnandi, nulloque hostes, arcesque domandi  
 Sanguine. Pene minor lapidum fuit ante, virorum  
 Cæforum numero: saxonum & rudera tanto  
 Emerunt alii pretio, ut de funere tantum  
 Certatum credas. Nunc, te ducente cohortes,  
 Exuimus castris hostes, æternaque vallis

Limina, & innumeris habitatas gentibus oras  
 Cepimus, & fusum nil sanguinis usque stupemus.  
 Sic vices tuum est, nibil ut Victoria ferro,  
 Omne sed ingenio, Divine & debeat arti.  
 Finiit, & Carolus digressu hæc verba supremo:  
 Expressam Herois magni sermonibus istis  
 Effigiem video, quo mentis lumina vertam:  
 Cujus ad exemplum totum me fingere coner.

## §. IV.

*Pervenitur ad Rhenum, & insula occupatur.*

**N**on respiravit Gallus, trepidoque timore  
 Respexit, donec se inter conspexit, & hostes  
 Rhenum interjectum. Mox & venit agmine pleno  
 Nostra phalanx, armisque moram victricibus undas  
 Objicere, indignans rabido fremit ora dolore.  
 Mox Lotharus Princeps, & Khevenhüller ubique  
 Condensas nemorum tenebras, & lustra luporum  
 Excisis solem cogunt admittere truncis.  
 Ingemit arboreas Hercynia silva latebras  
 Everti, fagusque trahit radicibus imis  
 Cum gemitu latam penitus convulsa ruinam,  
 Dejectaque cadunt ulmi, terramque flagellant  
 Vertice subverso, spatiōsumque aera laxans  
 Quercus, opaca, ingens summa jactatur humi vi,  
 Multaque præterea lethali vulnere cæsa  
 Robora procumbunt saxis innata jugosiss,  
 Arboribusque istis, ferroque rigente, carinas  
 Immanis molis fabricant, alvoque capaci,  
 Et decussatim ferrata cuspide palos  
 Innumeros proræ, laterique infigere fudant  
 Ignivomas contra munimina fortia strages.  
 Sed licet arte, manu, totis & viribus omnes  
 Connixi instarent operi, tamen igneus ardor  
 Militis ulterius renuens sub pectore claudi,

Differ-

Differique mora, lentantia brachia fabris  
 Objicit, & cœptos urget celerare labores.  
 Jamque dies vicina suos accessit ad ortus,  
 Quam miles cupiit. ( quamvis hærentia cælo  
 Nubila prospectum tollant ) Hac nocte diurna  
 Consilium Dux posse suum latitare putabat.  
 Illius imperio compressat pinea flumen  
 Machina, susceptis bellantum fœta catervis,  
 Peneque inauditæ natitantia pondera molis  
 Comminuere caput Rheni, tum forte jacentis  
 Muscosum supra thalamum: nam tecta cubilia  
 Pumicei rupto subsidere fornicis arcu,  
 Et magno ingentes numero procumbere tophi.  
 Cæruleum Numen Chlamydemque, thorumque re-  
 linquens,

Defendensque caput palma super illud utraque  
 Imposita, trepidus curvato corpore fugit,  
 Präcipitemque fugam vix longo tempore figit,  
 Tum se sublimem medio dat anhelus ab amne  
 Vultum reflectens. Non longius arce Friburg.  
 Insula divisus obsistit fluminis undis,  
 Cujus arenoso sub dorso celsa levatur  
 Aptaque tormentis statio, quam Ductor uterque  
 Fortiter ejectis statuunt invadere Francis.

Ad fontem Rheni propius Waldeckius oras  
 Cogitat adversas, & vires ferre Croatis,  
 Qui jam trans fluvium fidos sibi calce latenti  
 Ingressi dumos, votis ardentibus urgent  
 Suppetias. Sed enim densum super aëra tractus  
 A tellure vapor, spissoque volumine longe  
 Intorquens, lateque plagas, soleisque viamque  
 Sustulit. Errantes ad ripam in parte maligna  
 Impetum rates, ubi vallum hostile recenti  
 Assurgens clivo, colubrinis littora servat.  
 Convelli motis spumantia flumina remis  
 Senserunt Galli, eito clamor diditur: hostis,

Hostis

Hostis adest, summamque rei nutare putantes,  
Currunt ad Patriæ fines, regnique tuendos.  
En: hanc, Galle, Domum, summo de culmine  
lapsam

Rüderibus squallere suis quam voce superbā  
Jactasti. *Magna, formidandeque ruine!*  
*Quæ ferme Bavaram, geminisque a partibus orbis*  
*Borbonicam oppressere Domum. Si roboris istud*  
*Rüderibus subfit, quid non Domus integra præstet?*  
Ocyus hostilis ferale remurmurat ägger,  
Ardet & eductis gladiis, flammaque tonante  
Æstuat. In naves circum, supraquæ volantes  
Prorumpunt mortes. Respondet Teuto, facesquæ,  
Vulnificasque pilas, nitrataque funera reddit,  
Et si sustineat certamen longius, idve  
Sustinuisse queat, Princeps Lotharingius ora  
Ex alia ignarum ratibus penetrasset in hostem,  
Et jam funeribus supremā soluta fuissent,  
Francia, justa tuis. Ast hoc discrimine liber  
Gallus, ad auditos diversa in parte tumultus  
Advolat accitus, trepidusque timore tuetur,  
Exit ubi rapido Rheni caput insula fonte,  
Audaces mediis puppes innare fluentis,  
Jamq; propinquantes quasdam, propiusque tenentes  
Telluris spatium, vicinam radere metam.  
En: velut effusi multa cum grandine nimbi  
Æthere de gravo, laxata nube, ruentes  
Perque casas, & agros crepitant; sic missile plumbum  
Verberat obfessas omni de parte carinas.  
Altera sulphureo surgit nox horrida fumo,  
Sub quia crebra micat funesto flamma fragore.  
Credideris ruptis Erebum expirare caminis,  
Et pice flagranti natum, pressisque perenni  
Compactum fumum per aperta foramina claustrī  
Exesi cumulo superas se trudere in auras.  
Ast Princeps animo cunctis majore periclis

Immotus, constansque sibi, cæloque faventis,  
 Fortunaque sua nixus, statione fideli  
 Dejicit hostilem turmam, defensor & adstans  
 Heroæ, captæque sua virtute palestræ.

### §. V.

*Gratulationes, & prædictiones quædam fiant Ducis nostro.*

**N**Ox venit, & furvis orbem complectitur alis.  
 Jupiter infernus lustrans, quod perfluuim imber  
 Sanguinis intulerit damnum, Phlegetonte sub auras  
 Transiit æthereas. Rapato comitatur euntem,  
 Habsburgam primus qui condere dicitur artem,  
 Nomen & hinc summissæ sibi: Wernerus, & Otto,  
 Atque Adalbertus, cui divite Dives ab arca  
 Cognomen mansit, dictusque tacendo Rudolphus  
 Qui taciturnus erat, sapiensque Albertus opimis  
 Alsatiæ fundis austus, Genitorque Rudolphi,  
 Qui per diversas diadema volubile frontes,  
 Et sceptrum Imperii varium per stemma rotatum,  
 Firma lege suæ genti transmisit habendum.  
 Omnes Habsburgi, magni virtutibus omnes.  
 Hos Gerardi umbræ comites, manesque sequuntur,  
 Cui dedit Henricus tali sub nomine Cæsar  
 Tertius, ut teneat Lotharum cum jure Ducatum:  
 Et Theodoricus Gerardi *Strenua* proles,  
 Ad quem certa refert Lotharam sententia Stirpem.  
 Omnes hi subeunt Caroli tentoria noctu,  
 Qui tum res magnas longo sermone serebat  
 Cum Khevenhüller. Postquam fuit agnitus illis,  
 Dilectum cupidi dextra, lævaque nepotem  
 Incinxere choro, & subito vox excidit ore:  
 O decus! o nostrum! concessum est ora tueri,  
 Atque tuos audire sonos! nos Numina, quanti  
 Effecere reos voti! Tua fama subivit

Umbrarum sedes tota tellure sepulta.  
 Quamvis ipsa tibi Virtus pulcherrima pendet  
 Præmia, quiq[ue] Deus pretium virtutibus amplum  
 Proposuit; Regina tamen tibi cetera reddet,  
 Quæ res, spesque suas omnes vult esse reposta  
 In gremio, dextraque tua. Scis, quanta sit Anna  
 Cæfarei soboles Patris, Augustaque Sorore  
 Digna Soror, cujus Divinam habitatio mentem  
 Tam pulchra exceptit: thalamis hæc ipsa paratur  
 Nupta tuis. Et id ante tibi prædixit Apollo  
 Laurea ferta ferens. Nec nos cedemus honori.  
 Quantum porrigitur spatium telluris ab Oeno  
 Ad Rheni littus, tota hac regione viarum  
 De tanto exundans Gallorum funere sanguis  
 Intima perfluxit terebratæ viscera terræ,  
 Hocque cruore rubent longo regna infera tractu:  
 Hac nostri posthac Divi Plutonis in aulam  
 Ibunt lege nova, quò regna novissima mundi  
 Factorum servent insigne perenne tuorum.  
 Ut via sublustrī se lactea pandit Olympo,  
 Qua Superis iter est in Regia tecta Tonantis;  
 Sic rubra jam Stygio spectabilis orbita civi  
 Infernos Proceres Ditis sub mœnia ducet  
 Santonicæ in signum cladis, Lothariique triumphi.  
 Sed dudum fixo Princeps immobilis ore,  
 Totus & in thalamis, Sponsaque moratur in Anna:  
 Multa petit, crebroque eadem quæsita reponit.  
 Longa deinde trahunt diversis tempora rebus.  
 Advertit Carolus, manes dare signa doloris,  
 Injiciunt quoties furtivo lumina visu  
 Khevenhüller: multumque diuque rogatae  
 Respondent animæ, rumpenda huic stamina vitæ.  
 Confestim Princeps lacrymas demisit amicas,  
 Atque pios tristi gemitus e pectore duxit.  
 Solantur mæstum manes, & vulnus acerbum  
 Ex animo blandis conantur tollere verbis.

Interea toto stellis fugientibus axe  
 Jam prima cum luce dies revoluta videtur,  
 Et manes Carolo: Soboles generosa valeto:  
 Nostrum stemma novis, & grandibus excole factis,  
 Istud & exæqua summis Dux inclytus astris.  
 Hæc ajunt, fatisque petunt urgentibus hortos  
 Elysios. Princeps animo dum cuncta volutat,  
 Dilectoque timet capiti, discedere campo  
 Victrices acies, mandatque hiberna subire.  
 Heroes ambo, curru vectante, Viennam  
 Regnaticem urbem tendunt lenire molestas  
 Ad tempus curas.

## §. VI.

### *Mors Excellentissimi Ducis Khevenhüllerii.*

Cepi hic simul ipse quietis  
 Respectare locum cupidus, cursuque fatiscens  
 In placida volui statione reponere corpus.  
 Institit at Phœbus reliquos perferre labores,  
 Fataque Khevenhüllerii pertexere metris.  
 Funeris ast habeat tanti quæ nomen Erinnys,  
 Eripiens turmisque Ducem, Patriaque Parentem?  
 Sub nivibus natas Victorem hunc carpere lauros  
 Vedit Hiems prior, & fremuit sibi dulcia rumpi  
 Otia inassueto strepitu, bellique tumultu:  
 Concepit ultrices irato in pectore flamas,  
 Vindictam spirans. Postquam per lubrica vectum  
 Frigora Ductorem vidi, nunc, dixit amaro  
 Risu, nunc pœnas est audax iste daturus,  
 Heroumque afflat lethali frigore corpus,  
 Protinus & gelido de corpore vita recedit.  
 Illius funus noctu sine imagine pompæ  
 Effertur: tristem non pendula turribus æra  
 Increpuere sonum, magno nec pegmata sumptu  
 Assurrexerunt medio sublimia templo.

Verus amat tenebras, & muta silentia luctus,  
 Odit & artificis signa ambitiosa doloris.  
 Cum neque mole sua, neque fixis tumba trophaeis  
 Indicet, hoc quanti tumulo Ducas ossa tegantur,  
 Nos memores laudum meritos addamus honores,  
 Quos Patris Patriæ Divina modestia, voce  
 Jam fracta, renuit lapidique, sibique referri.  
 Immineat capiti demisso pensilis auro  
 Quercus, & in pulchram laurus contexta coronam;  
 Altera servatos cives, patriosque Penates;  
 Grandibus obtritos notet altera cædibus hostes,  
 Gallica per totam se fundant lilia tumbam.  
 Ad partem fractæ ponantur cornua lunæ,  
 Atque leo Boicus captivis colla catenis  
 Hæreat affixus feretro, victoris ut urnam  
 Hanc sciatis esse sui. Captorum signa locorum  
 Stent circum veras imitantibus æribus arces.  
 Mortis ab extrema quæ conditione sepulchrum  
 Vindicit, ipsa loci maneat custodia Virtus.  
 Nunc paucis ipsam signemus versibus urnam;  
 Ostentet Memphis ductos ex ære colosso,  
 Atque sepulchrales facto de marmore tumbas,  
 Elatas calo, demirans prædicet orbis.  
 Quamvis nec careat tumuli Dux noster honore,  
 Scilicet æternis operum quam molibus auxit,  
 Pro tumulo totam posses statuisse Viennam.  
 Nobiliore tamen positus cubat ille sepulcro,  
 Quod miles, civisque suo, Reginaque struxit  
 Peitorc, cuique suum nullo decus excidet ævo.

O. A. M. D. G.

# NOMINA OFFERENTIUM.

## *Per illustres.*

Antonius de Zebich.

Bernardus Franciscus Kleinpaur  
a Weittenthal, S.R.I.E.

Cajetanus de Sternegg, S.R.I.E.

Josephus de Wallensperg, ex Archi-Duc. S.J. Convict. Colleg.

Maximilianus de Prunerstein, S.  
R. I. E.

## *Prænobiles, & Nobiles.*

Bruno Fritsch, ex Archi-Duc. S.  
J. Conv. Collegio.

Carolus Bliembl.

Carolus Posauner, ex Archi-Duc.  
S. J. Convict. Collegio.

Caro-

Carolus Schober.  
Ernestus Winckler.  
Georgius Mauller.  
Joannes Benvenuti.  
Josephus Grössing.  
Joannes Hackhoffer.  
Joannes Kaltenpruner.  
Ignatius Strener.  
Maximilianus de Brancovich.

